

**Florum arnicae optimi effectus in promovendo mensium fluxu in virgine octodecem annos nata, nondum antea lunare profluvium passa, instituto insuper naturali usu artuum inferiorum per triennium paralysi correptorum / observante Christ. Jac. Theoph. de Meza.**

### **Contributors**

Meza, Christian Jacob Theophilus de, 1756-1844.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

[Edinburgh] : [publisher not identified], 1787.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/xzrx359c>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

24

## XI.

*Florum Arnicæ, optimi effectus in promovendo Mensium Fluxu in Virgine octodecem annos nata, nondum antea lunare profluvium passa, instituto insuper naturali usu artuum inferiorum per triennium paralyti correptorum, observante Christ. Jac. Theoph. de Meza, M. D. Medicinæ et Artis Obstetriciæ, Pract. nec non Memb. Reg. Soc. Med. Hafn. ordin.*

**P**UELLA quindecim fere annorum, tenera nervorum compage donata, choreis forsan æquo plus data, huic oblectamento non semper innoxio, per integram indulget noctem, ut tandem lassata sed non fatiata matutinis recedens horis, se quiete ac somno tradiderit, ad undecimam antemeridiem usque. Post meridiem autem, satis alacriter se habens, vestes sibi induit, amicam tripudii nocturni comitem

comitem visura. Viam tenens audit ululatum horrendum, indeque metu perculsa properat amicæ domum. Ibidem adveniēti occurrit canis semimortuus, ante ejus pedes cadens utpote a carnifice male multatus. Terribile hoc spectaculum tantam vim exercet in nervos, natura vel et forsan saltatione prægressa magis irritabiles redditos, ut dicto citius omnino caderet sensibus orba. Domum fertur, ibidemque adhibitis variis auxiliis et remediis non nisi post dimidiam horam ad vitam evocatur. Surgere conanti e sella pedes fallunt, horumque usum eidem denegunt sensu et motu carentes. Hoc in statu curru vehitur proprias in ædes, ibidem secundum artem curanda, atque pedum paralyfi statim supervenit brachiorum resolutio.

Consultitur medicum utique doctum et expertum, qui nihil non adhibet quod artis est ad hunc morbum curandum, scilicet venæsectiones, vesicantia, verberationes urticis, cucurbitulas, embroche calidum et frigidum, optima antispasmodica, roborantia, unguenta acria et stimulantia, fonticulos; neque tamen valet restituere motum artubus inferioribus, superiores enim inde vigorem recuperabant  
pristi-

pristinum; unde mœrore et tædio affecta omnibus remediis valedicit, fortem patienter latura. Hoc modo autem tolerantes fellæ ut machina quæ ope et elatere indiget, si movere vult, affixa per aliquot annos, satis bene ceteroquin, circa finem Decembris 1785 annum ætatis adimplens decimum octavum, corripitur febre tertiana regulari, quando meum auxilium petitur. Cum vero ex relatis crederem hanc febrem haud inutilem fore ad paralyfim extremitatum solvendam, evacuanti- bus tantum utendum esse puto, donec aliquot passa esset paroxysmos; atqui tam molesti hospitis pertæsa, intense præcabatur ut ad acheronta eum quantocius relegerem. Ideo præscribo tanti usus, ac forsan nunquam satis laudandum in hoc affectu, corticem Peruvianum dosi ordinaria. Sed quamvis statis temporibus accurate atque exacte hoc præbium usurparetur, febris tamen de tertiana fiebat quotidiana; indeque accedo ad vires Gei ur- bani tentandas, cui quoque febris resistens in quartanam mutabatur, quæ nec unciis quin- que Gei cedebat.

Nunc vero in usum vocabam in quartano adeo laudatam Arnicam formula sequenti :

℞ Flor. Arnici, ʒi. coq. in aq. puriss. ℥ij. ad remanent ℥i. col. add. sal. ammon. ʒiii. fyr. quinque rad. aper. ʒii. M. cujus decocti hauriendus erat parvus cyathus omni trihorio.

Priori præbio assumpto, post horæ quadrantem oppressiones oriebantur, pectoris cum anxietatibus, et doloribus in infimo ventre, nec non cephalalgia. Pulsus fiebat celer, concomitante nausea. Verum enimvero nec inde territus, suadeo ne ab ulteriori remedii usu desistat; illaque alacriter alteram haurit dosin, quæ, in minori gradu quamvis, excitaverat vi sua activa cardialgiam, cum calore totius corporis. Ad tertium præbium autem tolerabiliora fiebant symptomata, et dimidia hora elapsa post quartum præbium sentit fluidum quid effluere e vagina; indeque animo attento ac anxio quærens quid esset, en non sine admiratione sanguinem vidit ex virginitatis antro prodire, qui forsan nunquam antea in amabili sexu quam in nostra cum tanta utilitate fluxit. Nam eo ipso momento temporis sentiebat, quadam titillatione et fornicatione circa tibiam, se pedes et crura habere. Insequenti die eosdem extendere valebat, ac demum tertio die incedebat saltabatque

que more aliarum virginum gaudentium cruribus firmis. Nec tamen statim ab usu decocti arnicæ discedebat. Febris ab eo quoque tempore non rediit. Brevi autem post remedio valedicens, mensium vero periodo regulari utique gaudet.

#### CORROLARIA.

Nervorum debilitatem, indeque insequentem majorem sensibilitatem, plurimum contribuere ut quædam in talibus subjectis vehementius operentur quam in aliis, non est quod præcipue ab hoc casu demonstrare conatus sum utpote nimis notum et triviale. Sed quod indicare volo est, quod causæ allatæ possint contribuere ut eadem subjecta nunc minus nunc magis ab uno eodemque objecto afficiantur. Viderat enim hæc virgo tales scenas aliquando, non sine horrore quidem sed nunquam tali cum eventu ac hac ultima vice, cujus causâ absque hæsitantia ex choreis prægressis nimiam lassitudinem et majorem debilitatem inducentibus deducere licet. Haud inficias ibo, hominibus debilioribus

corporis motum conducere quo roborantur fibræ musculares nervorumque systema, indeque sanguinis circulationem humorumque secretiones et excretiones haud satis regulares forsan in similibus ad meliorem reducuntur ordinem. Equidem haud negandum est saltus et tripudium inter corporis motus recensenda, ac facillime præ aliis ob oblectamentum quod afferunt præferenda: sed modus, quo nostris temporibus choreæ ducuntur, nunquam sanitati conducere potest, dum fit nimia vehementia, diuque nimis protrahitur, in conclavibus nimis calentibus, candelarum fumo et hominum vaporibus repletis, indeque sudor manat lassans, vicissim et alternatim repulsus, iterumque corpore fluens, non sine sanitatis detrimento nervorumque debilitate; inde, uti opinor, nostra magis ab hac tristi scena afficiebatur quam alias.

Nec est quod dubitemus arnicam in minori dosi, quamvis ac per aliquot vices usurpatam, sanitatem nostræ restituisse. Tensiones, anxietates, palpitationes cordis, cephalalgia, calores et dolores in infimo ventre, satis testantur de efficacia hujus remedii qua egerit in omnia vasa ac distenderit uterina. Hoc-



que modo vias aperuerit diutius forsan eman-  
 fæ jamjam vero prodituræ menstruationi\*.  
 Nec incredibile mensium profluvio artuum  
 paralyfin solutam fuisse †. Sensum formi-  
 cationis in cruribus sensu semper carentibus,  
 nunquam calentibus, ipso tempore quo men-  
 ses prorumpabant, monstrat et vasa cruralia  
 spasmodice contracta, modo jam dilatari vi-  
 amque patulam sic sanguini fluenti pandi.

Num vero febris fuerit naturæ conamen  
 ad promovendam menstruationis negotium,  
 verisimili fatis videri potest; quamvis mea  
 ex sententia, hoc negandum puto, dum sep-  
 tem paroxyfmi ante febrifugorum usum, cæ-  
 terique scil. horum usum nullum symptoma  
 ceu mensium prodromum excitarunt ante  
 arnicæ assumptionem, a qua abdominis cru-  
 ciatus cætera sequebantur.

## S E C T.

\* In mensium suppressione, horumve obstructione, com-  
 mendat de la Marche.

† Arnicæ in paralyfi virtutem, multis experimentis, in  
 quamplurimis ægrotis institutis, probat Clar. Collin. In  
 paralyfi artuum inferiorum ex pondere dorso illapso opem  
 tulit et infusum florum ingestum et cataplasma ex floribus  
 paratum, referente Plenkie.